

IUSTI LIPSI
EPISTOLARVM
SELECTARVM
CENTVRIA PRIMA
AD BELGAS.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Ioannem Moretum.

MD. LXXII.

Cum Privilegiis Casareo & Regio.

ILL^{MO} DOMINO
D. BALTHASARI
DE CUNIGA
REGIS Hispaniarum & Indiarum
LEGATO.



ENTURIAM hanc EPISTOLARVM ad te ire volui, et si ad Belgas ca esset. Nam quanquam non tu è nobis (Hispania veteri & inclytâ stirpe dedit) tamen es in nobis, & maximi Regis missu Legatum apud Principes nostros agis, id est consilij & ingenij tui copiam in rebus arduis facis, & salutis communi nostræ curas. Publica si omittam, & ipsum te adspiciam: magis etiam velle debeo. siue quia virtus singularis & doctrina tua (rarum in hac nobilitate ornamentum) ita exigunt: siue quia affectus in me, quem ab initio aduentus purum magnûmque declarasti. Et quidni purum? nihil in me, aut circa me, quod adumbrare inducat: quicumque talium magnatum ostendit amorem, etiam habet. Sed tamen iste ipse affectus ortum ab illo tuo in studia doctrinamque du-

IUSTI LIPSI
EPISTOLARVM

SELECTARVM

CENTVRIA PRIMA

AD BELGAS.

EPISTOLA I.

I. LIPSIVS GVILIELMO BREVGELIO V. C.

Consiliario Regio, & Cognato.



IUSTIVS iam in scribendo cessavi, at non in amando. quia affectu certè tibi alligor, quem iudicium mihi, non cognatio sola in seuit. Sed nubes hæc temporum, & factio ciuiliū dissidiorum, si subducit nonnihil aut tegit amicitie hunc solem: non tamen exstinguit aut tollit. quin ecce iam perumpit, & in istâ occasione radium aliquem ab Oceano ad te mittit. Audi hunc amicum, & crede: gnarus ille mearum rerum, sed & sensuum: ac planè habui ipsum velut arbitrum huius cordis. In studiis non cessamus, & CONSTANTIAM nostram iam videris: nisi quòd læguor etiam refrigerat, tum tristitia hæc temporum, vix spe iam alleuanda. O Deus & cælites, quis finis erit? Qui me priuatim etiam exercent, & grande vulnus accepi in sororis meæ vnice nuper morte. Quam si apud te laudem, matronam omnibus sui sexus virtutibus perfectam; frustra sum. iuxta enim mecum nosti, & pænè dicam amasti. Sed abiit, me reliquit vnum & vltimum Lipsiorum: tum etiam duos paruos liberos, in ipso dolore onus. Obsecro te, dum absom, vicem meam subi consulendo, dirigendo, imò & regendo: quem euium, præter te, in exiguo amicorum numero, idoneum aduocemus? Obsecro & refectro, is nunc esto: donec mihi fas reuifere ea loca, ad quæ animo adspiro. Vxorem,

IUSTI LIPSI
EPISTOLARVM
SELECTARVM
CENTVRIA SECVNDA
AD BELGAS.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Ioannem Moretum.

CLD. MDCL.

Cum Privilegiis Casareo & Regio.

A D
ILLVSTRES DOMINOS
P R Æ S I D E M
E T
S E N A T O R E S

Confilij PRINCIPVM sanctionis.



PISTOLAS has nec si mit-
tere aliò vellem, possem;
nec si possem, vellem. Cer-
tè non debeo, neque de-
cet, eas quæ priuatim semel vobis missæ
& velut consecratæ sunt, in aliud no-
men & mancipium publicè transire.
Pleræque enim harum ad te IOANNES
RICHARDOTE Præses, te CHRISTO-
PHORE ASSONVILLI, vetustissime Se-
natorum, olim iuerunt: & nunc quoque

IUSTI LIPSI
EPISTOLARVM
SELECTARVM
CENTVRIA SECVNDA
AD BELGAS.

EPISTOLA I. *Brugat.*

I. LIPSIVS IANO LERNVTIO S. dico.



NIHIL audio. in ius ambula. At solam Epistolam debebas mihi? imò etiam carmen, ad Tacitum meum illustrandum nomine amico. Neglegis, & facis te subito magnū. An & tu Biturigas euocatus es? Moriar, nisi risu solutus sum in epistolâ amici cuiusdam mei super hoc Lacone. Iam neglego valetudinem, & abire Morboniam volo: ne videam, ne audiam ista. Vos autem quid? an satis bellè in hoc bello? Ego in isto Lugdunensi otio consenesco. nec medicina vlla nisi à litteris: non istis amœnioribus, (lusoria hæc tela aduersus Fortunam sunt) sed ab illis robustioribus. Philosophiam dico. in quam me penetro: & quidem Stoïcam. Rides, & exspectas, vt me videas? vultum non mutui, sed animum. Humanitas in nobis eadem, imò fortassè maior. Scio vnde ista haurias, inquires: à Senecâ. Imò ab Epicteto & Arriano, quos in pectus penitum demisi, & in animum. Incredibile est, quàm me in hac vitiorum hominumque colluie iuuent. Taciti Commentarios videbitis breui; sed dumtaxat volumen prius, id est Annales. Quæ tamen ratio maxima est. nam reliqua non habent eandem obscuritatem. Iudicia vestra aut legam, aut coràm audiam. Vale. Lugduni, Prid. Kal. Ianuarij. Saluta vxorem à me, & meâ.

IUSTI LIPSI
EPISTOLARVM
SELECTARVM
CENTVRIA TERTIA
AD BELGAS.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Ioannem Moretum.

MD. LXXII.

Cum Privilegijs Casareo & Regio.

A D
C O N S V L E S

E T
S E N A T V M P. Q.

A N T V E R P I E N S E M.



I Q V A vrbium in orbe terra-
rum (audacter sic loquar) af-
fectus meos possidet , cam
A N T V E R P I A M esse, Am-
plissimi S E N A T O R E S , ex
animi mei sententiâ possum
profiteri. Multa me in eâ capiunt : Homi-
nes, Locus, Genius ipse loci. Homines qui-
dem, quos quis non honesti bonique appe-
tens, tales amet? Sunt Mercuriales apud vos,
fateor : sed iidem virtutis, prudentiæ, qui-
dam & sapientiæ candidati aut mystæ. Et v-
niuersè si inspicimus, grauitas vbique & mo-
destia, sed & comitas quædam adiuncta &
decens alacritas animorum. Parcimonia est,

IUSTI LIPSI
EPISTOLARVM
SELECTARVM
CENTVRIA TERTIA
AD BELGAS.

EPISTOLA I. *Ultraiectum.*

I. LIPSIVS LAMBERTO VANDER-BVRCHIO, *Decano.*



ACTVRAM profectò magnam fecimus in morte communis amici nostri N., & propriè vestra Resp. quæ metuo vt in nouos fluctus turbasque incidat, amoto quieto & perito illo gubernatore. Sed Deo & communi fato quis se opponat? Iuit quò imus omnes, nec meta sed tempus nos fecerit. Alij paullo longius, alij breuius, sed omnes in eadem viâ currimus, & ad eundem finem. atque illic poena, aut palma. Quòd te in eius quasi locum substituis, Vir Cl^{me}, de amore non erras: iam pridem te tuo merito amaui. quòd etiam hospitium tam benignè offers, humanitatis est, cui fatcor me deuinctum. Videbo quid bonâ gratiâ amicorum aliorum possim, etsi reuerà animus ad te inclinat. Sed hac ætate, quæ iam in exitu, vix est vt fiat: spero proximâ, eaque incunte. De Opere tuo probè memini quid in sermone aliquando significâris: atque ego tibi hunc laborem exhaustum (quantæ enim lectionis ea res!) gratulor, & ad vulgandum seriò hortor. Famæ tuæ ea res faciet, & multo magis publico bono. Quòd instituisti autem vitam cuiusque viri Principis perstringere, laudo: sed, meo iudicio, perstringere tantum, & remittere Lectorem ad eos qui ex professo scripserunt. Scio quàm difficile sit hîc modum seruare, qui gratus sit omnibus: quoniam aliud ferè vulgus, aliud docti amant. Sed, si te noui, tu facile attemperabis, vt neque bre-

AA uitas